Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

promptam enim ad iugulandum deo unicum dextera tenuit; splendebat hyacinthum cum caelum semper intuens caelestia sequebatur; sed et in ceteris similiter ornabatur. ego sic intellego et diem festum tabernaculorum qui mandatur in lege

Ut exeat populus certa die anni et in tabernaculis habitet. habens ramos palmarum et frondes salicis ac populi. et ramos arboris frondose; Palma uictoriae signum est. illius belli quod inter caro et spiritus gerit;

Arbor autem populus et salix tam uirtute quam nomine. Uirgulae sunt castitatis. quae si integre conserues. habere potes et nemorose ac frondentis arboris ramos. quae est aeterna et beata uita. cum te dominus in loco uiridi conlocauerit super aquam refectionis. Per ihesum christum dominum nostrum. cui est gloria et imperium in saecula saeculorum; amen.

DE MULIERE PREGNATA QUE DUOBUS UIRIS LITIGANTIBUS PERCUSSA ABORTIERIT.

Quod si litigabunt duo uiri et percusserit mulierem pregnantem. et exierit infans eius nondum formatus. detrimentum patietur quantum dixerit uir mulieris et dabit cum honore. quod si formatus fuerit. dabit animam pro anima. Oculum pro oculo. dentem pro dente. manum pro manu. pedem pro pede. Conbustionem pro conbustione. uulnus pro uulnere. liuorem pro li